DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

CALCULO.

8

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
CALCULO;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS


RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

SAMUEL LITTON,

ANGLUS.

VIII. Calendas Julias, horâ locoque solitis.



EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

1807.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

CALCULO.

In omni corporis humani cavitate inventi fuêre calculi, qui pro partis ubi siti sunt, diversa naturâ, diversa symptomata edunt. Præcipuæ verò calculorum sedes sunt viæ urinariæ; nec ullus morbus gravior miseros exagitat mortales, quàm qui a talibus calculis oritur. In omni apparatûs urinarii parte,—in arteriis et venis renalibus, in ipsis renibus, in eorum pel-

vi, per totum ureterum tractum, in vesica, urethra, et denique (quod sanè mirabile) sub ipso præputio, inveniuntur. De morbo qui ab his enatus est, tractare, ejusque historiam methodumque medendi, si modò mederi potest, describere, nobis est propositum ; et ea sola phænomena narrare, quæ cognita ad praxim medicam maximè pertinere videtur.

Primaria hujus morbi sedes sunt renes. In his primò calculosa materies, ex chrystallis minutissimis constans, deponitur, et nonnunquam, per ureteres in vesicam cadens, extra corpus cum urina, sub arenæ specie, excernitur, sine ullo incommodo notabili. Non semper tamen calculosis esse tam felicibus licet ; sæpiùs enim calculus primò exiguus in rene manet, per moram magnitudine augescit, et pro vario ejus situ et facie, diversa mala producit.

Si

Si in ipso rene locetur, superficiesque ejus sit lævis, nil fortassè nisi dolor obtusus paulò supra coxam sentitur; nec desunt exempla calculorum, qui, totum renis parenchyma occupantes, non nisi post mortem detecti fuêre.

Calculi verò quibus est aspera facies, dirum sanè morbum faciunt. Ex his enim dolor atrox oritur; ab omni motu majore, quales sunt equitatio, vel per viam asperam gestatio, lacerantur renes, unde urina cruenta vel nigra fit; interdum inflammatio facta est, in suppurationem et febrim hecticam abiens; ventriculus intereà in vomitum sæpè excitatur. Si ad pelvim et inde in ureterem delatus fuerit, et si major sit quàm qui descendere potest, ab attritione sensilis ureteris, dolor, inflammatio, et spasmi ad corpus inimicum expellendum fiunt. Aliquando urinæ transitus ex toto impeditur, et si in utroque rene calculi impacti fuerint,

perfectam

perfectam ischuriam faciunt. Hoc tamen rarò accidit; sæpissimè enim calculis, pressione urinæ continuò ab rene descendentis et contractione ipsius ureteris, tandem in vesicam impellitur.

Calculo in vesicam delato, dolores statim cessant; et, si molis parvæ sit, per urethram expelli potest: hoc sæpiùs fit in fœminis, quibus urethra brevis est, et recta, et facilè dilatabilis: in urethra virili, interdum tantâ vi infixus est, ut non nisi chirurgi manu extrahitur.

Calculus restitans in vesica, per orbes appositos sæpè in immensum crescit; adeò ut vesicam aliquando impleat. Sunt tamen calculorum magnitudines admodum diversæ. Ut in renibus, sic et in vesica, variant symptomata pro diversa mole, superficie et figura. Phænomena

mena præcipua sunt,—sensus sæpè intolerabilis ponderis in vesicâ; dolor et pruritus ad extremam urethram; desiderium frequens mingendi, urina interim non nisi guttatim et summis doloribus expulsâ; facilior mictus supino corpore, quo situ calculus a collo vesicæ amovetur; sæpè tamen in omni situ impossibilis.

Dolores a nixibus ad urinam expellandam summi esse videntur quos humana fortitudo perferre potest; aliquando etiam maximè strenui succumbunt, et ejulatus miserrimos edunt; sæpè in animi deliquium cadunt, aut in furorem impelluntur; omnigenis corporis motibus cruciatus levare tentant, et capiti quidam insistentes frustrà solamen miseriæ quærunt. Dantur calculi qui spiculis horridi, vesicam dilacerant, et ulcera in ea faciunt; aliquando etiam viam sibi in rectum faciunt, et per anum ejiciuntur.

Inter

Inter hæc mala, valetudo sæpè satis integra manet; dolores interdum diutiùs quiescunt, et morbus sanari videtur: hoc fortassè fit, a mutato calculi situ, vel ejus superficie ab attritione vesicæ, et vi assiduò præterlabentis urinæ, polita.

Urina calculosorum nunc est turbida, et cum ea ingens copia muci excernitur; nunc limpida est, et intolerabiliter fœtens. Alvus ut plurimùm adstricta manet.

In hoc morbo diagnosis non semper est admodum facilis, et tamen haud parùm medici interest eum à morbis huic similibus discernere. Signa præcipua calculi renis aut ureteri, sunt, dolor obtusus vel acutus, a renis regione pubem versus, se extendens; urina sanguinolenta vel nigra, præsertim post equitationem et gestationem; vomitus; stupor cruris;

ris; testis sursùm tractus; dolor ad virgæ caput. Hæc conjunctim satis certam diagnosin præbebunt: quod si his addita sit mictio sabuli, vix ullum dubium restabit.

Calculus vesicæ, a prostata scirrhoso, ægriùs discernitur; ab hoc enim pondus in perinæo sentitur; sentiuntur quoque dolor circa pubem et in urethra extrema, frequens desidendi et mingendi cupiditas, tenesmus et stranguria; urina quoque turbida est, a muco cùm ea expulso, quæ omnia calculi præcipua sunt signa. Tutissimam diagnosin præbere videntur, phænomena calculi renalis per ureterem depulsi; urina post motum cruenta; dolores diutiùs cessantes, valetudine interim integrâ satis manente. Haud raró tamen expertissimi medici falluntur, nec vera causa malorum ante mortem detecta est.

De

De natura et origine calculorum pauca sunt dicenda. Renales ferè semper ex acido urico constant; duos tantum ex oxalate calcis compositos inveniêre exercitatissimi Fourcroy et Vauquelin. Calculi verò vesicæ multùm variant gravitate specificâ, figurâ, et chemicâ compositione. Elementa ex quibus sæpissimè constant, sunt acidum uricum, uras ammoniæ, phosphas calcis, et phosphas magnesiæ et ammoniæ; unus tantum indolis calcariæ, nuperrimè detectus est. Hæ substantiæ prout solitariæ sunt, aut inter se conjunctæ, calculos efficiunt, quos Cl. Wollaston in quatuor genera distribuit.

Primum genus est *calculorum uricorum:* hi, ex acido urico, vel urate ammoniæ, toti vel maximâ parte constant. His color est subrufus vel flavus instar ligni; et plurimi calculi sunt hujus indolis.

Secundum

Secundum genus est *calculorum fusibilium*, qui calore majore liquescunt: hos efficit phosphas calcis, cum phosphate magnesiæ et ammoniæ.

Tertium constituunt *calculi, qui*, ex oxalate calcis constantes, *mori speciem referunt:* tales sunt durissimi, et scabri illi qui tantos tumultus excitant.

Quartum genus continet *calculos osseos*, quorum pars maxima est phosphas calcis; his nucleus est oxalas calcis, vel quicquid corpus peregrinum in vesica habitat. Post calculos uricos, sunt maximè frequentes: albidi sunt et friabiles, et quasi cretacei.

His addit vir doctus Dr Thomson genus quintum, quod constituunt *calculi ex carbonate calcis compositi.*

Particulæ omnium, a substantiâ naturæ animalis, unicuique speciei propriæ, mutuam suam cohæsionem habent.

Calculi primi generis in lixiviis causticis alcalinis, dissolubiles sunt; secundi, quarti et quinti, acidis muriatico et nitrico solvuntur. Calculi, denique, generis tertii, nec in alcalibus, nec facilè acidis dissolvi possunt.

Origo calculorum satis in obscuro est, et causa eorum proxima prorsùs latet. Constat tamen hominibus quibusdam innatam esse diathesin calculosam; sæpè a parentibus, præsertim arthriticis, derivatam. Prædispositis, calculi oriri videntur ex abusu acidorum vegetabilium et laticum spirituosorum. Oriuntur quoque a desidia, unde arthritici post diuturnum morbum calculosi evadunt; hominesque literati, qui rarò corporis utuntur exercitio, sæpissimè calculis cruciantur. Denique

quodcunque

quodcunque vim ventriculi enervat, causa lithiasis remota fieri potest.

De REMEDIIS ad calculum nunc nobis est loquendum.

Ex jamjudum dictis, patet, omnia acida vegetabilia, et liquores fermentatos, esse vitanda; patet quoque, diuturnum in lecto decubitum imprimis nocere, et hostem ingruentem corporis exercitio, largoque diluentium usu, esse debellandum. Si calculus jam formetur, descensus ejus in vesicam promoveri debet, diluentibus, quibus nempè copiosior fit urina; antiphlogisticis, si inflammatio adsit; ab emollientibus et opiatis, (præsertim per anum immissis), quæ dolorem minuant et spasmum ureteris resolvant.

solvant. Hæc omnia balneo calido adjuvari possunt.

De celebri quæstione circa vim lithontripticorum, limites arcti dissertationis inauguralis pauca tantùm dicere nos sinunt. Multa sanè quæ gloriam calculorum minuendorum retulere, quamquam fortassè haud inutilia, hanc certè vim non habent; qualis est, exempli gratiâ, *Uva ursi*. Magis celebres sunt, *aqua calcis* et *lixiviæ alcalinæ*; et extra omne dubium ponitur harum usum non solùm calculosis sæpissimè egregium solamen præbuisse, sed etiam calculos minuisse, et in nihilum penè reduxisse.

Aquam supercarbonatis potassæ vel *sodæ*, multo cum fructu, medici recentiores commendant. Hæ tantùm ad calculos *uricos* utiles videntur. Contra *fusibiles* et *osseos*, acidis *nitrico* et *muriatico* pugnandum est. In calculos ex oxalate calcis

calcis compositos, nullum adhuc inventum est remedium.

A quibusdam medicis hodiernis propositum est, solutiones lithontripticos in vesicam per urethram injicere; desunt tamen experimenta quæ hujus methodi utilitatem demonstrant.

Si omnia frustrà adhibita fuerint medicamenta, tandem operatio, crudelissima quidem, sæpè tamen salutaris, restat.

